



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno DLXXVII. ad annum DXC.

**Parisiis, 1644**

Epistola XIX. Gregorii Papae I. Ad Cyprianvm Diaconvm. Vt episcopi  
Siciliae Romam accedant sine praetoris impedimento, & de consolatione  
Llbertini.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15221**

niam nil quod tibi noceret inuenimus, ne qua de his quæ dicta fuerant suspicio remaneret, ad plenissimam te satisfactionem, si ab eis insons extiteris, ad sacratissimum corpus beati Petri apostolorum principis districta fecimus sacramenta præbere. Et ideo postquam nobis ut oportuit satisfactum est: dilectionem tuam præuidimus modis omnibus absoluendam, atque ad tuam te ecclesiam, in eo videlicet quo fuisti loco & ordine per omnia statuimus remeare, & nullam te a quoquam contradictionem vel inquietudinem de his quæ ad nos perlata fuerant sustinere: admonentes ut ita te de cetero cautum sollicitumque debas exhibere, quatenus & officio tuo moribus & actione respondeas, ut omnis contra te penitus aduersæ opinioni dicendi subtrahatur occasio.

*Mense Maio, indictione decimaquinta.*

### EPISTOLA XIX.

## GREGORII PAPÆ I.

AD CYPRIANVM DIACONVM.

Vt episcopi Siciliæ Romam accedant sine prætoris impedimento, & de consolatione Libertini.

*Gregorius Cypriano diacono.*

**N**OVI T dilectio tua hanc olim consuetudinem tenuisse, ut fratres & coepiscopi nostri Romam semel in triennio de Sicilia conuenirent; sed nos eorum labori consulentes, constituisse ut suam hic semel in quinquennio præsentiam exhiberent. Et quia iam diu est quod huc minime conuenerunt, eos hortari te volumus, ut natalem sancti Petri hic Deo perducente nobiscum debeant celebrare. Sed ne forte prætori aliqua possit nasci suspicio, si eos huc admonitos venire cognoverit; voluntatem nostram intelligens, ita hoc ex te facere stude, ut & ipsi, sicut prædiximus, ad diem constitutum huc veniant, & nulla de eis prætori possit esse suspicio: Liparitanum vero & Regitanum episcopos ut huc veniant pariter commonebis. Circa Libertinum vero virum magnificum esto sollicitus, ut nullus illum dolus decipiat, quia aliqua nobis de Rauennati vrbe scripta sunt, ipsamque ad te epistolam misimus, ut ex ea qualiter te erga eum debeas exhibere possis addi-

scere. Consolare autem eum, ut se non affligat; quia credimus quod nos dilectissimus atque excellentissimus filius noster exarchus non contristet. Nam de persona ipsius scribere non distulimus. Sed quia in Pado idem exarchus occupatus est, minime scripta eius suscepimus.

EPISTOLA XX.

GREGORII PAPÆ I.

AD FORTVNATVM ET ANTHEMIVM.

Desponsatam in monasterio conuersam nullo damno mulctandam.

*Gregorius Fortunato episcopo & Anthemio defensori.*

CATELLVS præsentium lator nobis innotuit sororem suam, quæ Stephano cuidam fuerat desponsata, diuinæ propitiationis instinctu Neapoli in monasterio fuisse conuersam, atque eumdem Stephanum domum & res eius alias indebitè detinere. Et quia decreta legalia desponsatam, si conuerti voluerit, nullo omnino censuerunt damno mulctari, fraternitas tua vna cum Anthemio subdiacono veritatè diligenti curiositate studeat perscrutari. Et si, ut edoc̄ti sumus, domum vel quid aliud superscriptum Stephanum iniuste tenere cognoscitis, eum adhortatio vestra instanter admoneat, ut quæ indebitè detinet, sine aliqua mora vel altercatione restituat, ne rerum alienarum restitutionem sub qualibet excusationis specie differat. Quem si adhortationem vestram negligere fortasse cognoscitis, nobis tam hoc quam etiam qualiter se causæ veritas habeat subtiliter indicate, quatenus cognito negotii merito, aliter cogatur æquitate suadente restituere, quod facere propria sponte honestatis consideratione contemnit. Latorem vero præsentium fraternitati tuæ commendantes hortamur, ut eum illic moras pati hac pro causa diutius non permittat.